FR. BONAVENTURAE GAZOLA

ORDINIS MINORUM REFORMAT.
PATRICII CAESENATIS
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
MONTISFALISCI ET CORNETI EPISCOPI
SS. D. N.

PII PAPAE VII.

PRAELATI DOMESTICI
EJUSQUE PONTIFICIO SOLIO
ADSISTENTIS
AD UTRUMQUE CLERUM ET POPULUM

EPISTOLA PASTORALIS



MONTEFALISCO

MDCCCXX.

TYPIS SEMINARII

FR. BONAVENTURA GAZOLA

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

M. FALISCI ET CORNETI EPISCOPUS

ORDINI CANONICORUM, UNIVERSO CLERO, ET POPULO

UTRIUSQUE CIVITATIS ET DIOECESIS SUAE

Salutem in Domino sempiternam

Diuturno teterrimoque bello, quo tota fere arsit Europa, demum pacato, Christianaeque Reipublicae optata magis quam sperata pace divinitus reddita, gaudebam summopere et gratulabar, ut ceteri boni omnes, meaeque Ecclesiae veluti amantissimae Sponsae in sinum receptus non aliter afficiebar animo, Venerabiles Fratres, dilecti in Christo Filii, ac nauta quidam, qui aestuoso enavigato pelago, tempestatumque devicta vi, tutissimo in portu sospes incolumisque conquiescit. Juvabat namque conferre inter nos sollicitudines, quas pertulimus, commemorare procellas, quas superavimus, indigitare scopulos, quos effugimus; atque ipsa haec praeteritorum malorum recordatio mirifice nos relevabat, detinebatque; spes autem futuri otii, in quo tranquillis rebus frui, accisas redintegrare vires, et curare inflicta Gregi vulnera liceret, tantam ad laetitiam hilaritatemque nos erigebat, quantam non modo nullis explicari

verbis, sed ne capi quidem animo posse existimarem.

Ast o inanes cogitationes! o vana consilia! Quam fluxo pede abeunt et labuntur hominum spes! Quam levi volucrique flatu spirat instabilis fortuna! Ille ipse, qui, totius orbis humeris ad Urbem cum reportaretur, ad meas Phicoclienses aedes divertit, iisque non solum praesentia sua, sed etiam mensa et contubernio cohonestatis, quemdam cumulum felicitati meae videbatur afferre, ille, inquam, ipse PIUS VII. P. O. M. spem nostram de futuro otio intercidit; novasque exhauriendas curas injungens, *vade*, ait, *vide, et visita vineam, quae mihi est Phaliscoduni et Corneti, et perfice eam* (1). Quo dicto, Apostolicis me munivit literis, jussitque, statim, ne mea quidem salutata Phicoele, discedere, et ad vos quamcitissime per dispositos equos advolare.

Atque hoc ego quidem jussum, tametsi laboris et periculi plenum esset, volenti lubentique animo, ut par erat, excepi, eaque diligentia perficiendum curavi, quam res poscebat, ejusque auctoritas, qui imperaverat; cui nimirum obsequi cum fas est et decus maximum, tum vel paullisper obsistere nefas est, dedecusque turpissimum. Verum quod postea ex mea illa in apostolicis capessendis maturandisque mandatis voluntate et studio consequutum est, ut ab eodem S. Pontifice, vobis rogantibus, huic Ecclesiae

(1) Psalm. 79. v. 15.

regundae Episcopus praeficerer, quam pro tempore tradiderat procurandam, hoc quidem me turbavit maxime, et curarum anxietatumque in aestuosum prope pelagum conjecit.

Quid enim? Mene jam multo provectum senio et laboribus defatigatum novum onus vix juvenilibus comportandum humeris suscipere ac sustinere? Mene alterum Pedum in manus sumere, qui primum ponere et abdicare vehementissime optabam? Mene meum Gregem, pusillum eum quidem, sed probe cognitum, meique amantem deserere, et ad alium meas curas meaque studia transferre, ampliorem certe et mei cupidum, sed nondum tamen mihi satis perspectum, et ad regendum ob suam ipsam amplitudinem difficiliorem?

Haec ego reputabam animo, et angebar maxime ex quo primum die delatae sunt ad me Pontificiae ea de re literae, neque satis exuere poteram illa vincula, quibus obstrictum me pluribus abhinc annis Phicocliensi Ecclesiae sentiebam. Vicit tamen, et nos incertos flexit denique S. Pontificis auctoritas; cujus ex voluntate non potuimus tandem non intelligere, id divinitus fuisse constitutum, ut reliquum vitae nostrae cursum, quotus quantusque futurus sit, saluti utilitatique vestrae manciparemus.

Vos vero, ad quos scribimus, ignoscite, quaeso, si illuc primum nostra deflexit oratio, fixusque ibi videtur animus, unde corpore discessimus; ignoscite, si ad vos lacrimas et querelas mea haec defert Epistola, quibuscum gau-

dere et laetari maxime oportebat. Hoc nempe etiam supremum mei officii et benevolentiae testimonium praebere iis necesse fuit, qui me omni tempore officiis omnibus prosequuti summa adhuc pietate desiderant, et diligunt, et colunt. Neque id mihi vitio, aut levitati dabit quispiam, si meminerit, hoc idem fecisse Paullum, ubi a Mileto proficiscens non sine dolore et angore animi flentes et osculantes ejus Ecclesiae seniores deseruit, alio, quo eum vocabat Spiritus Sanctus, commigraturus. Sed finiendus tandem ille dolor est, eximendus ille scrupulus, omnis sollicitudo exuenda: quam ad rem ea movet in primis cogitatio, regi adhuc Ecclesiam a divino Spiritu, et alio si vocor, ut olim Paullus, ab eodem Spiritu vocari me, cui resistere sine piaculo nemo potest, simul ac per R. Pontificem Vicarium Christi audiat vocantem.

Ecce itaque volentem me, lubentemque ad vos, o Phaliscoduni, Corneti, totiusque Dioecesis incolae: quem vestrae administrandae Ecclesiae praefectum ex improviso habuistis, nunc Episcopum ex voto habetis. Vester jam Ego sum, sic Deo volente, et mei vos; atque ita quidem ego sum vester, ut sim vobis in Patrem, itàque vos mei, ut mihi in Fratres sitis, et Filios. Quamobrem jam totum his nominibus mihi calescit pectus, paternoque amore vehementissime exaestuat; sicque charitatis vincula obligant me vobis, et jungunt, ut jam plane sentiam, vos *oves* esse *meas*; *lapides meae aedificationis, et membra Christi mei*.

Ita sane : *cor meum*, *et os meum patet ad vos*, o VENERABILES FRATRES et FILII CARISSIMI, ut intelligatis, quam merito nobis gaudendum gratulandumque invicem sit, quod auspicatissima hac die unum ovile efficimur, unum aedificium, atque adeo templum Spiritus Sancti, et unum corpus, cujus caput est Christus. Utinam vero sanctissimum, quo hodie jungimur, foedus nulla unquam vis inimicorum dissociet, nulla falsorum fratrum dissidia perturbent, nullus invidentium rumor relaxet! Hoc certe mihi ratum, fixumque est, ut quidquid amando, vigilando, laborando possum, pro vobis impendam omnia et superimpendam, et re probem vera, quod nunc verbis polliceor, pastorem huic ovili datum esse non mercenarium, sed bonum, sed vigilem, sed paratum dare animam suam pro ovibus suis, pro quibus ipse Dei Filius totum sanguinem dedit.

Verum (proh dolor!) quam multa primum istum laetitiae, alacrisque voluntatis impetum morantur, ac turbant! Aetas jam provecta in senium, vita laboribus debilitata, iniquitas temporum, morum corruptio, magnitudo inprimis rei, quae mihi traditur gerenda. Gravis enim res est quilibet Episcopatus; hic vero eo etiam gravior, quod duas habet Ecclesias, atque eas quidem loco dissitas, aequo jure et pari cura administrandas, multas ubique Paroecias, multa Canonicorum Collegia, plura etiam Monasteria, plura Coenobia, et celebratissimum cum nobilium Convictu Seminarium.

Quamquam , ut fatear quod res est , non gravis esse debet , nec admodum molesta ea postrema cogitatio , immo vero ad solandum maxime accomodata . Ubi enim multa albescit messis , ibi etiam multi sese offerunt operarii . Fatebor etiam , me nunquam inducturum fuisse animum ad tam difficilem Spartam suscipiendam, nisi certa spes affulsisset fore , ut , divina inprimis juvante ope , tantum mihi ab universo Clero accederet praesidii et adjumenti , quantum a piissimis sapientissimisque viris possit exspectari .

Vos autem primo adjuvare me in negotiosa provincia fas erit , qui primum apud me locum tenetis, ornatissimi utriusque Ecclesiae CANONICI et VENERABILES FRATRES . Ideo enim , puto , Pontificali cathedrae adestis proximi , et quasi vigiles statores , quia vestrum est stare mecum in fide , et in Dominico custodiendo grege diu noctuque vigilare ; tantique honoris participes facti in partem quoque oneris venire omnino debetis . Ideo *Canonicorum* nomine insigniti estis , quia praecipua ss Canonum custodia concredita vobis est . Ideo in aede principe sedetis sublimiore in gradu locati , quia *speculatores estis in Israel* ad vitia omnia propulsanda, virtutesque inserendas . Videte igitur , ne quid vestro muneri , ne quid nomini , ne quid dignitati desit . Videte etiam , ne meae expectationi desitis ; et quando spe vestrae in me voluntatis fretus tantum oneris suscepi , videte etiam atque etiam , ne unquam me spes ea fallat ,

nec vestra unquam officia , nec labores , nec vigiliae deficiant .

Si enim vigilandum semper et excubandum est in Ecclesia Dei , hoc praesertim tempore nostras exquiri vigilias , et excubias puto , quo Petri Navis post longam tempestatum vim in portum denique recepta conquiescit . Suos namque et in portu habet scopulos , suas syrtes , suos hostes , sua pericula , atque eo quidem cavenda magis , quo minus videntur , et formidantur . Ubi enim discordibus acta ventis medio in mari fluctuat ea Navicula , ipse fluctuum aestus et sonus, ipse luctantium tempestatum strepitus et quassatio ad vigilantiam nos excitat , et ad laborem omnemque contentionem virium pro communi salute compellit . Sed compositis demum fluctibus, et blanda pacis afflante aura , tum vero periculum est , ne , quiescentibus et otiantibus nautis, clanculum insiliat in navim hostis qui latet in litore , miserrimamque cladem importet .

Quamobrem magno in metu et in excubiis nos esse perpetuo oportet , cum certi simus, monente Petro , circumire assidue nos Diabolum in nostra damna pervigilem , qui , ubi desunt Nabuchodonosores , excitare solet Absalones ; ubi evangelicum agrum vastare aperto marte et media in luce non potest , surgit nocte , et superjecto zizanio foedat corrumpitque ; ubi demum defecere hostium praelia , struit per falsos fratres insidias . Quamquam apostolicis non indigemus monitis ea in re, quam infelix et perpetua docet experientia . Quis enim nescit , ea semper fuisse

Ecclesiae fata, ut majora a falsis fratribus, quam ab hostibus, acceperit damna, majoresque in angustias ab insidiarum laqueis, quam a bellorum impetu fuerit conjecta? Quod quidem malum, si quid ominari liceat, nostra hac tempestate eo timere magis debemus, quo occultiores fraudes parant inimici in latebrosis coetibus, et similitudine officii, religionisque specie sua tegunt consilia: quae eo demum spectant, ut, quod S. Paullus praesenserat, per inanem philosophiam, pellacemque doctrinarum novitatem *commutent veritatem in mendacium*, reverendae antiquitatis dogmata sacrosque disciplinae canones possumdent, omnemque Christi religionem nostris sub oculis et nostris prope manibus dilanient atque convellant.

Excubandum igitur, si unquam alias, nunc maxime est; nunc vacandum precibus, nunc connitendum viribus, nunc nulli labori, nullique industriae parcendum, ut dormitantem Christi Sponsam, idest Ecclesiam, et a praeteritis injuriis relevantem se, suaque curantem vulnera tueamur. *Adjuro vos, ne evigilare faciatis dilectam*; sed vigilate tamen pro ea, vos oro obtestorque, ne a lascivientibus procis novas injurias novaque vulnera accipiat. Filii enim illius sumus, et quidquid demum dicere, quidquid facere possumus, id omne pro incolumitate Parentis et tantae Parentis alacri lubentique animo dicendum nobis faciendumque est.

Quod quidem etsi ad omnes pertinet, cum in communi periculo commune officium requiratur, praecipue tamen eorum partes videntur es-

se, qui summo in gradu dignitatis atque honoris tamquam in specula constituti sunt, ut quidquid intra, quidquid extra Ecclesiae muros agitur, videant, et quae fidei, quae moribus, quae veteri disciplinae adversari viderint, magna animi provisione removeant. Dies enim mali sunt, eamque pugnam jamdiu intendi cernimus, ad quam armat nos et praeparat Apostolus dicens: *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principes hujus mundi, harum tenebrarum, adversus spiritus nequitiae.* " Sumamus ergo scutum fidei calceati „ pedes in praeparatione Evangelii pacis, et „ gladium spiritus, qui est sermo Dei. Induamur loricam justitiae, accipiamus quoque ad „ tegumentum capitis galeam salutis, ut in die „ nequissimo resistere Diaboli minis et repu„ gnare possimus „ (1).

Mihi quidem, FRATRES MEI, dulce et decorum est, si opus fuerit, praeire, et quidvis facere ac pati, ut alterum Mathathiam, *dare quoque animam pro testamento Patrum nostrorum* (2). Sed et vos, *Fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis* (3). *Disciplinam in pace servate, Filii; sapientia enim est abscondita, thesaurus invisus* (4). Quid autem carius, quid antiquius esse nobis debet, quam ut sanctissima majorum instituta, traditamque a Patribus disciplinam religiosissime servemus ac tue

(1) S. Cypr. Epist. 3.
(2) I. Maccab. 2.
(3) 2. Thess. 2.
(4) Eccl. 41.

amur? Haec enim est haereditas nostra, haec Fidei tessera, haec dogmatum custos, haec primum Christianae Religionis vallum, haec firma Ecclesiae petra, haec Petri Navis anchora tutissima. Hanc vero ipsam si communi insanientium hominum arbitrio et licentiae permittamus, quid tandem restat, nisi ut certissimum totius Evangelii naufragium in nostris hisce oris expectemus?

Quapropter hoc hodierna luce foedus, hoc pactum inter nos, VENERABILES FRATRES, firmissime feriatur, ut nihil novi in Ecclesiam nostram induci patiamur ab iis, qui *fidem habent temporum, non evangeliorum* (1), *qui transfigurant se in angelos lucis* (2), *et veniunt in vestimentis ovium* (3); *sed id quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, credamus; hoc est etenim vere proprieque catholicum* (4). Hoc stet in primis, perfecte Sacerdotem agere, qui *tunc irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum praecedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat* (5). Hoc demum, quod vehementissime commendavit Apostolus, unusquisque vestrum videat, et diligentissime videat, ne se aut suos *per philosophiam aut inanem fallaciam decipi* ab iis sinat, *qui secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (6) ambulantes, *et derelinquentes rectam viam erraverunt, nec sectas*

(1) S. Hilar. Lib. ad Const. Aug. (2) 2. Cor. 11.
(3) Matt. 7. 15. (4) Vinc. Lirin. c. 3.
(5) S. Greg. Past. (6) Coloss. 2.

metuunt introducere blasphemantes . . . pellicientes animas instabiles , libertatem illis promittentes , cum ipsi servi sint , fontes sine aqua , et nebulae turbinibus exagitatae , maledictionis filii (1) . Hoc, inquam , Apostolicum monitum alte nostris animis infixum maneat , VENERABILES FRATRES ; et quo illi audacius *transgredi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri* (2) , nituntur , eo nos severius diligentiusque pro aris et focis sepiamus , custodiamus , servemus .

Quae quidem dum scribo , non iis solum, qui nostrae adsistunt Cathedrae in primariis Templis , scripta velim , sed reliquis etiam omnibus , qui eisdem prope officiis in Dioecesi funguntur , eodemque Canonicorum nomine nuncupantur . Meminerint , se non vacuum habere nomen , nec ad captandam dumtaxat popularem auram , fluxamque gloriolam fuisse eo honore praeditos et auctos . Canonici sunt , canonice vivant , et esse quod dicuntur studeant ; sacros nimirum Canones , idest Ecclesiae regulas rectissime non solum sciant et servent , sed aliis etiam tradant , et servandas curent . Ad conservandam enim , augendamque Christianam disciplinam institutae sunt eorum dignitates , et honoribus idcirco auctae , ut dum facilius aliorum e vulgo oculos in sese rapiunt fulgore gloriae , uberius luce bonorum operum illustrent , frugiferamque ad vitam informent .

Quid vero , si contra accidat , si sacros

(1) 2. Petr. 2. (2) Prov. 22.

ipsi Canones primo negligant, si vagati oculis et mente alii tritas ex usu preces inflectant, alii praecipiti lingua deglutiant, alii ut canes muti et somnolenti adsistant? Quid, si vel nitidis nimium concinnisque vestibus, vel nimium obsoletis notandos sese digito praetereuntibus praebeant? Quid, si secularibus non modo curis negotiisve, sed jurgiis etiam et simultatibus se involvant? Quid, si se comessationibus, et ebrietatibus foedent? Quid, si ea frequentent cubicula, mulierumque consuetudines, a quibus vix castus Joseph sine labe se expediret? O praeclaros sane viros! O dignos plane, qui ex altari ad vestibulum, ex Sacerdotum albo ad sordidatum poenitentium vulgus rejiciantur!

Absit vero, Venerabiles Fratres, ut ejus furfuris esse inter vos aliquem putem. Quin etiam est, est, quod gloriemur, nobiliorem hanc nostri Cleri partem tam bene institutam de manu Domini suscepisse, ut res nomini, dignitati pietas, doctrinae vita respondeat. Est, quod speremus, reliquos e Clero Sacerdotes eorum virtutes ita aemulaturos, ut nunquam desiderentur, qui sint rectores in Israel, et operarii in vinea Domini, nec qui mihi largam, liberalemque operam in Episcopali ministerio sufficiant.

Ast a vobis, qui divisum animarum regimen mecum habetis, et in frequentioribus populis vice sacra fungimini, eam operam opemque assiduam non speramus, sed petimus, nec petimus modo, sed potiori quodam jure volu-

mus et vindicamus. Vos enim mihi estis duces in Israel, vos Evangelicae vineae cultores, vos peculiares Christi gregis excubiae, vos Ecclesiarum Angeli, vos necessarii adjutores mei, et totidem prope mihi estis Episcopi. Sine reliquo fortasse Clero fungi possem Episcopatu, sine vobis non possum. Vobis in officio stantibus, stant mihi omnia; deficientibus vero, omnia deficiunt. Tanti igitur mea refert, rite a vobis Gregem meum pasci, quanti refert, episcopatum a me recte geri, ut satis saluti ovium, meaeque consultum sit; idque unum jam mihi reliquum est, ut non tam oves curem, quam ipsos pastores, quibus est ovium cura concredita.

Quod ut assequar, Venerabiles Fratres, nulla certe opus esse arbitror praeceptione aut severitate. Quid enim tempora, quid status Ecclesiae poscat, quid oves vestrae universae et singulae a vobis requirant, plane videtis et intelligitis. Quam sancte dispensanda sint Dei mysteria; quam trepide in tribunali Poenitentiae sedendum; quam studiose verbum Dei disseminandum; quam sedulo theologicis disciplinis vacandum, lectioni in primis sacrarum scripturarum, sacrorumque canonum, ut *requirentibus de ore vestro legem Dei respondere possitis*; quam caute sacramenta tractantibus sordidus pecuniae quaestus fugiendus; quam assidue vigilandum, ut diebus festis debitus adhibeatur honor, ceterisque Dei et Ecclesiae praeceptis debitum obsequium, nemo vestrum ignorat. Quid igitur demum vobis restat, nisi ut *quemadmodum accepistis, quomo-*

do oporteat vos ambulare, ita et ambuletis? Quid mihi, nisi ut ambulantibus calcaria et animos ad cursum addam, ut *abundetis magis?*

Unum tamen hic praeterire non possum, quod Christus non verbo solum, sed et facto suo commendatum summopere voluit, in eam maxime curam debere Parochos incumbere, ut morbidas in primis oves cognoscant et sanent, quaeque extorres de ovili aberrant, omni studio conquirant et ad salutaria pascua reducant. Istae enim miserae in primis sunt, et opus habent medico, primamque propterea postulant commiserationem et curam. Hoc itaque opus esto Parochorum maximum, hic labor esto praecipuus; hic *instent*, hic *obsecrent*, hic *increpent in omni patientia et doctrina*, donec ii, qui in peccatorum tenebris et in umbra mortis sedent, caelestes demum voces audiant, et resipiscant. *Magnum enimvero gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente*, Fratres mei carissimi; ex quo magnum quoque praemium manere eos, qui peccatorum animos ad poenitentiam flexerint, certo auguramur. Quod si quis vestrum in obstinatum aliquem *durae cervicis et incircumcisi cordis* inciderit, quem nullae preces, nulla monita, nullae minae commoveant, tunc *dicat Ecclesiae*, idest ad nostrum tribunal deferat, aut eorum, qui in Dioecesi nostras vices gerunt.

Optime enim illud fuit a majoribus constitutum, ut apud unamquamque Ecclesiam ii essent, qui vice nostra fungentes delata crimina cognoscerent, et virga potestatis, quae nobis data

est a Christo, coercerent. Cum his igitur sua consilia communicent Parochi; his Paroeciae morbos, qui ferro indigent, aperiant; his offensionis lapides, qui de medio tolli debent, ostendant. Hi vero, ut recte suo munere fungantur, ea quae D. Gregorius praecipit nunquam non recolant: *Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plusquam expedit parcens* (1). Non praecipites in judicium, nec in poenam ruant; diu deliberent quod faciendum est semel; graviora ad nos referant, mediocria etiam, si velint, sed aperto animo ac simplici, quali esse is debet qui Ecclesiae praeest. Non enim simulatione, nec ingenio regenda est Ecclesia Dei, sed justitia et veritate.

Has itaque praestantissimas virtutes ob oculos semper habeant qui nostras gerunt vices quacumque demum in caussa ferre judicium debeant, ne, dum ceterorum peccata arguunt, ipsi de peccato redarguantur. *Veritatem* si amant, aditum ad se omnibus patere jubeant; si *justitiam* diligunt, oderint munera, et omni studio partium seposito, non plus sibi licere in judiciis putent, quam quod leges praescribunt, eae, inquam, leges sanctissimae a majoribus nostris traditae et servatae, quas dum juri Canonico daretis operam in Phaliscodunensi isto Gymnasio, tractastis et addidicistis. Quod quidem dum memoro, haud scio, utrum mihi magis gaudendum

b

(1) Past. p. 2. c. 1.

sit, quod tam cultus ager mihi ipsi obtigerit, quam meis Praesbyteris gratulandum, quod summo Dei beneficio eo ipso in agro nati fuerint et instituti.

At vobis (quandoquidem ad hunc locum defluxit oratio) in primis gratulor, ADOLESCENTES optimi, quibus datum est, ut in hoc scientiarum emporio, et hoc praesertim tempore, quo, tanta discipulorum copia ex omni fere Italia confluente, summopere fervent studia, politioribus imbuendi literis et frugifera disciplina versemini. Fruiminor hoc tanto bono, Adolescentes optimi, tantasque opes, quae cuique prostant, pulcra sanctaque aemulatione colligite. Magno quidem labore illae emuntur, sed brevis labor ingentia commoda, aeternamque gloriam parabit; eam, inquam, gloriam, qua vos ipsi hoc tempore tam multos in foro, in curia, in Ecclesia circumfluere et abundare videtis, qui non ita pridem hoc ipso in loco ad literarum studia naviter incubuerunt (1). Hos ante oculos habete diu noctuque; horum facta imitaminor, horum vestigiis pedem statuite, itaque in incepto pergite et contendite, ut vestros ad laudem impetus non moretur otii amor, non divitiarum copia, aut cupiditas, non illa omnium vitiorum altrix, bonisque artibus inimica voluptas.

Sed illud stet in primis, Filioli mei carissimi, qui ad ecclesiastica, vel ad secularia munia vo-

(1) Vid. ad calcem Epistolae brevem eorum indiculum, qui Phaliscodunense Seminarium et Collegium virtutibus, literis, honoribusque exornarunt.

camini , doctrinam nunquam laudabilem esse sine virtute , saepe etiam fieri turpem ; virtutum vero omnium pietatem esse fundamentum ; posse quidem sine illa beate vivi , sine hac non posse . Addo etiam, virtute qui careat, negligatque pietatis studia , eum veram perfectamque doctrinam minime esse assequuturum , ex illo Regis post hominum memoriam sapientissimi oraculo : *in malevolam animam non introibit sapientia*, *nec habitabit in corpore subdito peccatis* (1) . Haec igitur vobis prima sit cura , haec antiquissima , ut, quantum in literarum studio contenditis , tantum in virtutum stadio proficiatis . Uberem hic et patentem late campum ad omnem gloriae cursum habetis; multos item ad currendum stimulos, adjumenta vero omnia, celebratissimum Gymnasium, optime instituta studia , proposita studiosis praemia , perspectam magistrorum peritiam , discipulorum frequentiam , librorum copiam , opportunitatem quoque loci ab omni tumultu secreti , ipsum prope dixerim caelum , quod sua quadam amaenitate et sublimitate acuendis ad unguem ingeniis et politioribus excolendis literis aptius videtur esse et attemperatius .

Quae cum ita sint , videte etiam atque etiam , Adolescentes optimi , ne quae singulari Dei beneficio , et tot tantisque majorum vestrorum laboribus vobis parata sunt commoda , vestra socordia aut oscitantia fiant inutilia. *Audite , Filii , et servate disciplinam Patris vestri* , illius ,

1) Sap. c. 14.

inquam, Patris omnium optimi et vere Emi Card. Barbadici, qui domum hanc non modo a fundamentis immensis prope sumptibus excitavit, sed iis etiam praeceptis institutisque egregie instruxit, quibus si vos obsecutos videro, (ut vero obsequamini nihil non efficiam), magnam certe in spem ingredior, patriae vos futuros esse cives optimos, domui utiles filios, mihi vero meisque successoribus in hac regenda Ecclesia adjutores desideratissimos. Vos enim (liceat me paterno affectu affari) vos estis *olla spei meae*, vos *Dei agricultura et plantatio Christi*; vos *sicut novellae olivarum in circuitu mensae meae* succrescistis, quas in vineam Domini paullatim transferam; ex quibus expecto *fructus honoris et honestatis*.

Haec ad Secularem Clerum. Venio nunc ad Regularem, qui tametsi populosus in nostra ditione non sit, satis tamen et numero et viribus praestat, ut, si velit, sacerdotale ministerium nostrum opportunissime juvare possit. Ea autem esse voluntate quis dubitet, cum et ipsi, cuicumque demum coenobio nomen dederint, Religionis alumni sint et sacerdotio inuncti, et *operarii missi in vineam Domini*? Vera virtus, quam Regulares se excolere ad unguem profitentur, non otio, sed actione gaudet, suaque bona longe lateque diffundi non modo cupit, sed eo ipso alitur et augetur. Neque enim Deus ideo vocavit eos in solitudinem, ut sibi solis viverent, sibi solis thesauros divinae bonitatis conderent recconderentque, sed ut de domo et cognatione sua

egressi utilius in domo Dei servirent, humanisque curis expediti magis divina procurarent; quodque prudentissimi militiae Duces facere solent, ut aliquas copias integris viribus et magis belli peritas in castris ad majora pericula reservent, hoc et ab Ecclesia divino certe consilio factum cernimus, ut ex suis aliqui in coenobiis tamquam in tyrocinio quodam virtutum sese abdant et exerceant, evadantque ad ferendum auxilium communi caussae paratiores.

Prodeant ergo identidem auxiliares illae copiae *tamquam castrorum acies ordinatae, et ad praelianda praelia Domini concurrant*. Prodeant vero nunc maxime; eget enim communis caussa communi patrocinio. Nunc opus est plurimorum auxilio, nunc doctrina et exemplo juvandum ministerium nostrum; nunc *induenda arma lucis*; nunc disseminandus *sermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti*; nunc inimici Crucis Christi a tergo a fronte ab omni latere impugnandi; nunc fides nostra cunctis armis opibusque propugnanda. *Arma autem militiae nostrae carnalia non sunt, sed potentia Deo* (1) *in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei* (2).

Quapropter caveant, ne ad otiandum potius et rusticandum egredi e suis claustris, quam ad evangelizandum et laborandum *in opus ministerii*

(1) 1. Cor. 10. 12.
(2) 2. Cor. 6.

videantur . Caveant insuper , ne, si nimis diu et libere in mundo versentur , mundano luto adhaereant, aut pedem postliminio referant non pulcro pulvere sordidatum .. Sunt enim Coenobitae, sunt et ipsi *dispensatores mysteriorum Dei*; sed sint *fideles* , sicut Dei ministri , *sine crimine, irreprehensibiles* . Lumbos et ipsi habent praecinctos ad ambulandum et evangelizandum ; sed ambulent coram Deo , sintque perfecti , evangelizent pauperes , *nec quaerant quae sua sunt* , *sed quae Jesu Christi* . Lucernas et ipsi ardentes in manibus ferunt ; sed videant , quaeso , ne , dum lucem afferre hominibus student , ut *hominibus placeant, et ad oculum serviant* , videant , inquam , ne lucernas ipsas suas importunus vanae gloriae fumus obnubilet, aut pestilens vitiorum aura restinguat.

Hoc vero malum timendum vobis non est , votae Deo VIRGINES , quas Christi Religio infirmitati sexus vestri prospiciens cancellis clausit , sacrisque septis communivit . Lampades vestras nunquam certe mundanus vapor afflabit aut extinguet : sed ut ardentes illae sint , necesse est ut prudentes vos ipsae sitis , oleumque bonorum operum , quo uno alitur charitas erga Christum sponsum vestri amantissimum , assumatis et infundatis . Lucere lux vestra coram hominibus non debet , sed coram Christo Domino , qui *vos introspicit per cancellos* , *et videt in abscondito* , *ut retribuat unicuique vestrum* , mercedem scilicet daturus eo splendidiorem , quo humiliores ceteris et obscuriores fuisse noverit , *vitamque immaculatam custodiisse ab hoc seculo* .

Quod ut assequamini, fugite, oro etiam atque etiam, id omne quod seculum sapit, fugite cumprimis crebra cum secularibus colloquia, vestrisque in cellulis ea, quam mundus dare non potest, pace fruiminor, in illam nempe curam unice intentae, ut castitatem, obedientiam, paupertatem, ceteraque vota, quibus caelesti Sponso obstrictae estis, conjunctis animis collatisque in commune officiis studiosissime servetis.

Quod vero a suis Sanctimonialibus primum petebat S. Augustinus (1), hoc et nos a vobis primum petimus et postulamus, ut *sit vobis cor unum et anima una, et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia* (quod primis Christifidelibus solemne fuisse (2) accepimus), *et distribuatur unicuique vestrum a Praeposita vestra victus et tegumentum, sicut opus fuerit.*

Ego enim sic sentio, sic statuo, ceteros quidem Christianos ita mundo uti debere, quasi non utantur, Sanctimoniales vero feminas, simul ac in Monasterii claustra pedem contulerunt, ita in eo vivere debere, ut mundo omnino mortuae videantur; nec satis a ceteris virginibus, quae in seculo relictae sunt, secerni, nisi, exclusa rerum omnium cupiditate, perfectam virtutem unice spectent, unice quaerant, unice assequantur. Perfecta vero virtus est nihil excupere quod extra sit, quae fuerint intra communia habere, atque adeo in mutua operum officiorumque communione et in charitate non fi-

(1) Epist. 211. (2) Act. 4. 32.

cta sibi vivere, ac Deo ancillari . Hanc siqua sit quae sequatur , quae diligat , quae ipsam propter ipsam et Dei gloriam appetat , non propter aliud appetendam ducat , *haec* nimirum *haec est Virgo sapiens ; haec speciosa inter filias Jerusalem* , haec Christo concupita et ad thronum electa .

Nihil itaque ad vos de iis , quae apud nos sunt et extra isthaec moenia contingunt . Quam vana sint ea omnia non solum probe scitis , sed hausistis etiam oculis, ita Deo permittente, et manibus prope contrectastis , ubi vos impiorum hominum manus vi ab istis claustris deturbavit , mediaque in luce extorres veluti columbas peregrinari et exulare diu coegit . Quo quidem tempore tam calamitoso tam turbido experimentum virtutis vestrae egregie fecistis , castissimae Virgines ; non modo enim sordidas persequentis milvi ungues effugisse scimus ; sed etiam alacres in arcam foederis , ubi primum patuit aditus , remigrasse vidimus, et magno gaudio vidimus .

Quid igitur mihi demum restat , nisi ut vobis gratuler de tanto Dei beneficio ? Quid vobis, nisi ut immortales pro eo gratias agatis , eodemque quam dignissime utamini ? Quandoquidem restitutae estis *horto vestro concluso* , pergite eum colere puris manibus , purissimae Virgines , ut non desint in eo *flores rosarum* , *nec lilia convallium* ; atque hilares quidem et omni cura expeditae, ne , dum sollicitae estis circa plurima, quod unum necessarium omnino est , negligatis .

Quod tamen non ita dico , ut putetis , es-

se vos ab omni prorsus metu securas . Est quidem hortus iste conclusus , sed non ita , ut nullum Diabolo aditum faciat . Amat vero antiquus ille humani generis hostis , amat vaferrimus ille serpens in florentissimos hortos irrepere , amat inprimis feminas aggredi , suisque dolis irretire. Quamobrem timendum omnino vobis esse jubet D. Paullus, *ne, sicut serpens Hevam seduxit , ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo* (1) . Estote igitur semper vigiles , ornatasque lampades nunquam de manu ponite , illud animo repetentes, Sponsum, quem praestolamini, noctu venire consuescere, et ex inopinato pulsare ostium , desidiosas et dormitantes virgines a nuptiarum gaudiis exclusurum .

Quamquam, ut vere fatear, non tam timidum me et anxium habet tutela illa electarum ovium , quae tot repagulis septae ab omni incursu hostili tutantur , quam reliqui totius Gregis custodia , qui mihi in planitie ampla et omni hostium aggressioni aperta exspatiatur . Vos dico Optimates utriusque Urbis ac Dioeceseos , vos Cives, et Populares omnes, cujuscumque ordinis sitis , quos meae curae Pastorum Princeps credidit rationem postea habiturus severissimam . Magna mihi est sollicitudo pro vobis, Filii desideratissimi, magna anxietas , magna animi trepidatio pro vestra salute . Quem enim , utut saxeus ferreusve sit, non moveat tanta illa luxuriantium vitiorum lues, quae ad corrumpendos mores tam impune ubique gen-

C

(1) 2. Corinth. 11.

tium gliscit atque grassatur ? Ego certe jam vinci a morbo medicinam crederem, et de mea industria vigilantiaque omnino desperarem, nisi multum mihi de vestra docilitate et de divina cumprimis ope sperandum esse sentirem. Scio enim, quo animo in me, qua voluntate in religionem estis, scio qualis mihi ager colendus obtigit, in quo nimirum, etsi transalpinum illud virus invaserit, non insedit tamen penitus, nec ea pietatis doctrinaeque evangelicae semina corrupit, quae copiose inseverant optimi decessores mei, et ex nuperrimis Emus Garampius.

Id nempe unum inter multa, quae me angunt, praeclare contigit ad solatium, quod a me laborandum sit in ea Sparta, in qua non multo antehac laboravit ille optimus, mihique, cum viveret, conjunctissimus Cardinalis Garampius, non solum autem mihi, sed et vobis et bonis omnibus in omni vita deflendus, Garampius literatorum deliciae, exemplum antiqui officii, Episcoporum prototypus, flos omnium virtutum. Quid enim mihi aliud ad obeundum episcopale munus superest, nisi ut tanti Episcopi vestigia prosequar, eaque vobis ante oculos ponam praeclara Edicta, quae data opera ipse ex Evangelio, ex Conciliis, ex vestra Synodo excerpsit, explicavit, evulgavit ? Haec ego a primo die, quo ad hanc administrandam Ecclesiam accessi, diligenter exquisivi, haec suspexi vehementer, haec studiosissime recusa typis in vulgus edidi, haecque ipsa, quae majores vestri observarunt, ut ab omnibus observarentur quemadmodum hacte-

nus curavi, ita etiam ut observentur inposterum religiosissime curabo.

Neque enim novarum legum amator ego sum aut sectator cupidus, imo etiam ab omni novitate abhorreo tamquam a turbidissimo tragaediarum fonte, tristissimarumque metamorphoseon (1). Cujus rei exempla cum multa et luctuosa praebeat historia, ob eam ego caussam veteris disciplinae paternarumque traditionum aemulator sum studiosissimus, eosque, ut scitis, ferre satis aequo animò nunquam potui, qui inanem in rerum novarum studio gloriolam expiscantes id omne quod vetustatem sapit fastidiunt, novos dumtaxat canones, novas leges, novas rerum formas amant, praescribunt, inculcant. Qui quidem risu excipien-

(1) In quo si quis nimiae me et senilis severitatis arguet; facile me ipse in Apostoli fidem recipiam, qui inter *profanos* amandat homines *novitatis* amatores, ipsasque *novas voces devitandas* accuratissime praescribit (1). Facile etiam me tuebor patrocinio Patrum qui *novis rebus studentes* reprehendunt et diris omnibus devovent ut *adulatores, redemptitios, ac nummarios haereseos fautores* (2). *Postquam nova potius coepit ostendere quam accepta retinere*, ait Hilarius; *nec inveterata defendit, nec innovata firmavit, et facta est fides temporum potius quam Evangeliorum, dum secundum annos scribitur*. Concinit perbelle Nazianzenus: *scire cupimus, quaenam sit tanta circa Ecclesiam novandi libido, ut volenti ac transeunti gregem praeclare ductum atque institutum discerpere, ac furtivis et clandestinis incursionibus, vel potius praedatoriis et absurdis doctrinis populari ac diripere liceat*. Quapropter antiquitatem tota Ecclesia semper reverendam censuit, et in Nicena Synodo illud sancitum voluit, *ut antiqui mores serventur, quoniam Romano sic est Pontifici consuetum* (3).

(1) 1. Tim. 6. (2) S. Athan. Orat. 1. et 2. adv. Arian.
(3) Cap. 6. * Vide, quaeso, Isaiae cap. 24. v. 5. 6.

di essent , nisi timendum foret , ne , si crescat novandi furor, eo tandem deveniant , ut , quod alias accidisse scimus , dum veterem Ecclesiae disciplinam refingere et reformare student , mirum monstrosumque in modum deforment. (1)

Neque is ego sum, qui velim Pharisaeorum more *importabilia* praeceptorum onera vobis injungere ; sed quae Christus , quae Ecclesia, quae vestra Synodus praecepit , haec ego praecipiam ; hoc ego jugum , hoc onus , quod per se suave est et leve , quodque Patres et majores nostri volentes lubentesque tulerunt , vestris ferendum humeris imponam . Tanta vero aliunde est vestra in me voluntas , ut quemadmodum ego universum studium meum benevolentiamque ad vos lubentissime defero , ita vos mihi pro communi salute laboranti ultro obsequuturos fore confidam . Hoc

(1) Qua in re egregie mecum facit prae ceteris piissimus doctissimusque noster in Episcopali Hierarchia Frater non ita pridem vita functus in celebratissimis suis homiliis haec habens : *Siamo in tempi cattivi . Un' indocile e superba filosofia pretende di dominare , e correggere la religione ; filosofia, che ricusa di credere tutto ciò che non sente , che rovesciando le idee della venerabile antichità , cerca di sostituire all' umile sentimento l' orgoglio , alla penitenza evangelica la mollezza, alla fede robusta de' nostri Padri una criminosa tolleranza , ed una rea indifferenza , che si riduce al Deismo . Si dice di richiamar la purità degli antichi Canoni , e si rovesciano i Canoni , e la disciplina, e la fede . Si nega l' autorità de' Pastori , e poi si passa a negare l' autorità del Vangelo . Si dice di credere alla Chiesa ; ma la Chiesa non è ascoltata , anzi è vilipesa , perseguitata, e derisa . Ah figli bugiardi ! Levatevi una volta la maschera ; soffrirem le vostre persecuzioni , pregheremo per voi ; ma almeno non sarete riputati dei nostri , e non avremo nella stessa casa con noi nemici domestici e traditori* . V. Omel. I. del Ch. Turchi Vescovo di Parma .

certe mihi pollicentur tot tantaque vestrae religionis argumenta, hoc maxime vestra studia vestraque vota ad S. Pontificem semel ac iterum delata, ut me prae ceteris omnibus unum haberetis Episcopum.

Quae cum ita sint, vestra nunc magis interest, quam mea, ita vos gerere, vestrosque mores ita conformare, ut nec vobis, nec mihi desitis, Filii dilectissimi. Hortor tamen, precor etiam (utquid enim non hortatu, non prece utar erga Filios Pater?) hortor, inquam, magnopere, enixeque precor pro amore nostro, pro vestra salute, ut quales futuros esse animo praecepi, tales vos omni loco et tempore praebeatis. Si divitiis affluitis, *nolite cor apponere*; magisque de iis tribuendis ad ceterorum inopiam elevandam, quam de iis augendis cumulandisque cogitate. Si honore, si scientia, si nobilitate praecellitis, *nolite inflari*, ne vanus tumor vos ad fastidiendos ceteros distendat, qui vos ipsos versa vice fastidient atque contemnent. Si pauperes estis, si aerumnosi, si miseri, *nolite contristari*, imo etiam consolamini illud animo revolventes, talem quoque fuisse Dei Filium, et *compati* necesse esse, ut et *conglorificemur*. Deum timete omnes, cujuscumque demum ordinis et conditionis sitis, Filii carissimi, Deum timete (*hoc est enim omnis homo*); et festis praecipue diebus eum colite ab omni peccato et servili opere cessantes, ut in unum, quod maxime necessarium est, vestrae salutis promovendum opus qua precibus, qua eleemosynis, qua sacramentorum usu, qua aliis pie-

tatis operis incumbatis. Deum timete, et omnem blasphemiae, usurae, luxuriaeque labem, omne maledictum, omne odium, ceteraque mala de medio vestri tollite, auferte, propulsate. Deum timete, et *quaecumque sunt vera*, *quaecumque justa*, *quaecumque pudica*, haec cogitate, haec diligite, haec facite.

O me ter et quater beatum, si oves meae voces hasce meas audiant, altoque animo infigant! O fortunatos meos labores! O auspicatas vigilias, si eum demum fructum aliquando capiam, ut universum Gregem nulla vitiorum scabie foedatum, nullo errorum veneno imbutum, nullo peccato perditum, sed salvum plane et incolumem ad Christi ovile reducam! Huc certe spectant mea studia, huc meae curae, Filii carissimi, ut tantum saluti vestrae prospiciam, quantum meae. Huc vero etiam, si quid de vobis meritus sum, si quid merebor, si quidquam mihi tribuendum putatis, huc etiam spectent vestra studia, huc vestrae curae, huc omnes animi corporisque nervi non conferantur solum, sed et intendantur.

Verum quando magna res agitur aleaeque plenissima, et exiguae ceteroquin sunt hominum vires, quo tandem recident nostri conatus, nisi divina ope juventur et sustententur? Haec igitur primum enixis precibus, conjunctisque animis petenda; haec votis, sacrificiis, omnibusque pietatis actibus demerenda; haec D. MARGARITAE, cui maximum utriusque Civitatis Templum nuncupatum est, aliorumque Patronorum Caelitum,

et Angelorum , quibus totius Dioeceseos tutela commissa , invocato interpositoque numine, deproperanda : quae, si adsit , sperandum omnino est , cuncta tum Gregi , tum Pastori prospere successura .

Orate igitur , FILII IN CHRISTO DILECTI , orate Deum , ut quidquid ovili invidet , abarceat ; quidquid zizanii Dominico huic agro superseminatum est , stirpitus avellat , quidquid periculorum et insidiarum instat , procul facessat : Orate , ut charitas omnium virtutum princeps , quae infusa est in cordibus nostris , in nostris quoque actionibus principetur eluceatque ; et *pax , quae exsuperat omnem sensum, custodiat intelligentias nostras,* quin ullus unquam discordis doctrinae ventus exagitet , nullus incurrentium hostium impetus oppugnet, nullus falsorum fratrum obloquentium rumor exturbet . Orate etiam pro me , et orare nunquam desinite, ut, quando tanta rerum mole gravatus sum , ea non opprimar aut frangar ; sed qui dedit onus , det etiam vires , et qui misit me ad vos , mittat mihi *sedium suarum assistricem sapientiam , quae mecum sit*, mecum laboret , mecum vigilet , mearumque virium infirmitatem erigat , confirmet , tueatur . Orate , ut *qui est spes mea a juventute mea , non projiciat me in tempore senectutis , et usque in senectam et senium non derelinquat me* (1) .

Quandoquidem vero una est fides nostra , una Ecclesia , unumque Ecclesiae caput , eique

(1) Psal. 79.

subdi et obtemperare non solum, sed conjunctissime etiam adhaerere tamquam membra debemus, fas est omnino, VENERABILES FRATRES, et FILII DILECTISSIMI, in orationibus nostris Deo commendare in primis et vehementissime PIUM VII. P. O. M. ut communi omnium bono diutissime eum servet, sospitet, atque fortunet. *Mittat*, quaeso, *mittat* ei Deus *auxilium de sancto*, quo Petri navim tanta tempestatum vi et hostium manu divinitus ereptam tutissima in statione incolumem servet, damna ei illata resarciat, et in veterem dignitatem firmitatemque restituat; unde illud, quod quisque votis precibusque non intermissis appetit, tandem fiat, ut facilem felicemque vitae cursum agant, et sub tegmine illius sceptri *sedeant populi in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta*. (1)

De cetero Fratres (sic vos postremo loco affari cum Apostolo liceat) *gaudete, Fratres, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum*, cujus nempe invocato numine, paternam benedictonem vobis peramanter impertimur.

(1) Is. 32.

Datum Phaliscoduni IV. Id. Mart. ipso ad Episcopatum accessus die A. D. MDCCCXX.

Omnium primos ex nobilissimis Viris honoris amplitudinisque gratia nominatos volumus eos, qui in praesentiarum in vivis degunt, quique summa cum ipsorum laude, et singulari Seminarii Collegiique Falisci ornamento ac decore bonis artibus instituti, eximios etiam honores amplissimasque dignitates promeruerunt. Illmi ac Rmi Sacrorum Antistites sunt.

Vincentius Macchius ex Capitemontis Archiepiscopus Nysibenus, et apud Christianissimum Galliarum Regem Nuntius Apostolicus.

Ignatius Ranaldius Patritius Maceratensis Archiepiscopus Urbinas.

Fabricius Silvius Soranensis Episcopus Grossetanus in Hetruria.

Vincentius Strambius Centumcellensis Episcopus Maceratensis.

Marius ex Baronibus Ancajani Spoletinus Episcopus Eugubinus.

Carolus Filesius ex Marchionibus Cittadini Interamnensis Episcopus Perusinus.

Duo ex nostratibus, et equidem dignissimi, superioribus additi legerentur, nisi horum alter bis, semel alter renuntiati Episcopi pro sua modestia id honoris refugissent. Reticentur hic nomina, cum et illud incertum sit, velintne hi sese nominari.

Post hos Praelatitia dignitate praefulgent
Illmi ac Rmi Domini

Fabricius Turriotius Patritius Tuscaniensis Sacr. Inquitionis Assessor.

Vincentius Brenciaglia Vulsiniensis Maritimae et Campaniae Delegatus Apostolicus.

Gherardus de Federicis Spediensis Sacrae Consultationis Decanus.

Inter plurimos vero, qui ex hominum vita jamdudum decesserunt, et in eodem Seminario ac Collegio omnibus facultatibus eruditi nedum nominis famam in literis, sed et summas Ecclesiae dignitates adepti sunt, primas merito tenent

Emus Cardinalis Januarius de Simone, Patritius Beneventanus, Episcopus Pisaurensis.

Emus Cardinalis Joannes Castilioneus Ischiensis Episcopus Auximanus et Cingulanus.

Tiberius Burghesius Patritius et Archiepiscopus Senensis

Franciscus Forleanius Capranicensis Civitatum Castellanae et Hortanae Episcopus.

Bartholomaeus Bacher Romanus Ripae Transonae Episc.

Stephanus Justinianus Patritius Januensis Albinguanensis Episcopus.

Bonaventura Carentius ex Cryptis Castri Civitatis Plebis Episcopus.

Ex Praelatis posteritatis memoria digni videntur

Franciscus M. Barbadicus, Patritius Venetus, Emi Cardinalis Barbadici Seminarii Fundatoris Nepos, Romanae Rotae Auditor.

Matthaeus Scalionus Valentanensis Summi Pontificis ab Arcanis Epistolis ad Principes:

Benedictus ex comitibus Passionei e Foro Sempronii Praelatus Domesticus, et Vaticanae Basilicae Canonicus.

Josephus ex comitibus Manasseі Interamnensis Praelatus Domesticus, et Liberianae Basilicae Canonicus.

Carolus M. de Federicis Spediensis Summi Pontificis a Secretis, ut ajunt, Cifrae.

Paullus Bucciottius Patritius Urbivetanus Spoleti Gubernator.

Paris Justinianus Patritius Januensis Gubernator Perusiae

Joannes Bouget Salmuriensis in Andegavia, primum in Seminario et Collegio Falisco Hebraicae et Graecae linguae Professor, deinde in Collegio Urbano de Propaganda Fide, Praelatus Domesticus, et Cappellanus Secretus.

Silentio praeteriri minime debent qui seipsos, Seminarium nostrum, et literariam Rempublicam maximopere cohonestarunt, quos inter eminent

Alexander Abbas Mazzinellius, domo Valentano, Cathedralis Faliscae Sacrista, in Seminario Dogmaticae Theologiae Lector, Studiorum Praefectus, vir fuit eruditione ac doctrina paucis secundus, ut ejusdem opera praeclarissima publici juris hactenus facta satis superque declarant. A Clemente XI. magno in pretio habitus, Innocentio XIII. carissimus, a Benedicto XIV. verbis amplissimis fuit ornatus.

Semper honor, nomenque tanti viri, laudesque manebunt, cum sibi, suis, Capitulo, Seminario, Patriae, et Dioecesi universae maximo semper fuit, atque etiam in posterum futurus sit splendori.

Clarissimus P. JOSEPHUS BLANCHINIUS, Patritius Veronensis Romani Oratorii Presbyter, cujus nomen, singularem doctrinam, omnigenam eruditionem nulla delebit oblivio, et fama semper loquetur anus.

Ex Togatis erunt instar omnium.

POMPEJUS EX MARCHIONIBUS FRANGIPANI, Patritius Romanus, totius antiquitatis et historiae peritissimus, cujus eruditissima opera tum edita, cum inedita in Pisanae Universitatis actis singulatim recensentur.

DOMINICUS OCTAVIUS PETROSELLINIUS Cornetanus, Poeta clarissimus, Arcadiae Custos et Censor, de cujus mentis viribus, ingeniique celeritate Arcadum editae Collectiones Poeticae satis superque testantur.

Infiniti essemus si omnes et singulos praeclarissimos juvenes, quos Seminarii Falisci fama longe lateque pervagata Montemfaliscum accivit, quique graviorum disciplinarum, et politiorum literarum multiplici eruditione doctrinaque floruerunt, recensere hic velimus. Huc enim literarum amore capti ex Georgia, Anglia, Hibernia, Scotia, ex Galliis, Hispaniis: huc Pedomontani, Tyrolenses, Veneti, Ligures, Ferrarienses, Ravennates, Bononienses, Tusci, Piceni, Umbri, Neapolitani, Melitenses, Siculi, Corsi, Chii, Smirnaei, Romani pene innumeri vel ex nobilioribus familiis confluxerunt.

Ne longius, quam par est, abeamus, consulto hic nominatim proferre praetermittimus omnes et singulos clarissimos Professores, qui laboribus improbis, vigiliisque assiduis magnam eruditionis copiam, et disciplinarum omnium supellectilem adepti, Seminarii Falisci scholas praeclare et laudabiliter rexerunt, ac moderati sunt. Donec Seminarium steterit, celebrati semper abibunt Morus, Bonjourius, Mazzinellius, Durantus, De-Angelis, Bazzarrius, Bettus, De-Rubeis, Gervasius, Mattejus, Florellius, Bassanus, Fras-

senius , Orlandius , Castius (1) ; Lucinius , Venturius , Bonellius , Tamagna , Planettius , Ricca , Armellinius . Ex nuperrimis vero honoris caussa nominandi omnino sunt Garau ex Archigymnasio Rom. Sapientiae huc ad moderandam Philosophiae cathedram accitus , deinde ad Calaritanam Universitatem a Sardiniae Rege evocatus, et Gandulphius ac Diechius Sorbonici Doctores , quorum postremus fuit etiam in ipsis Sorbonae scholis professor primarius , Eccles. Cathalaun. et Ruthen. gen. Vicarius , nec non Episcopus paullo ante obitum designatus . Cum autem odiosum sit notos sumere , tacemus praesentes et vivos , qui ob eximiam doctrinae et ingenii laudem magno in pretio habendi sunt , et habentur , quorum judicium posteritati relinquimus , ne ipsorum modestia offendatur .

(1) Dolendum vero , et magnopere dolendum , quod Castii Musa , quae penes nos intra honestatis decorisque fines se continuit , eosdem absens , et sui prorsus oblita misere transilierit .